

\* I \* H \* V \* S \*





~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clvcccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.





Disputatio Theologica

DE

526  
74  
5 **GLORIOSA SAL-  
VATORIS NOSTRI  
JESU CHRISTI RE-  
SURRECTIONE.**

*Quam*

Deo clementer annuente

*In celeberrima ad Albim Academia*

PRÆSIDE

*Viro Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo*

**DN. BALTHASARE MEISNERO**


SS. Theolog. D. & P.P. Præceptore & Pro-  
motore suo æternùm colendo

*Ventilandam proponit*

**HERMANNUS SCHLUTOVIUS**

Rostochiensis Megap.

*Ad diem I. Maji in Auditorio Veteri.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographæo AUGUSTI BORECK,

ANNO clb lb CXXV.



GEORGIUS

VAT. CHRISTI

RE

Georgius

Christi

Dr. Balthasar

22. J. 1687

Dr. Balthasar

HERMANNUS

1687

Dr. Balthasar

1687

HERMANNUS

1687







In nomine Jesu  
DE  
GLORIOSA CHRISTI  
RESURRECTIONE,

THESIS I.



Christi vita non immerito à Veteribus Docto-  
bus Ecclesiæ comparatur curriculo quod sex potif-  
simum gressibus absolvitur: 1. Cum de cælo de-  
scendit & homo factus est in alvo Mariæ virginis.  
2. Ex utero in terram natus & educatus, magnus  
propheta potens opere & sermone declaratus coram Deo &  
omni populo Luc. 24. v. 19. 3. De terrâ progressus ad aram  
crucis ubi clavis affixus & lanceis transfossus. 4. De cruce  
progressus in sepulchrum quò post tres dies regressus. 5. è se-  
pulchro in infernum descendit & se victorem Sathanæ mortis,  
& inferni ostendit. 6. Ex inferno demum in terram rursus venit  
& sic ostendit se Dominum inferni, & mortis Apoc. cap. 1. v. 18.  
atque cum per quadraginta dies resurrectionis veritatem homi-  
nibus demonstrasset ad Patrem regressus à quo exivit.

*Sex Chri-  
sti gressus.*

II.

De his gressibus Christi certis temporibus agit Ecclesia, ut  
de primo in festo Annunciationis, de secundo in festo solenni  
Natalitio vere magno & solenni propter magnum pietatis my-  
sterium, quod Deus manifestatus est in carne. 1. Tim. 3. v. 16. &  
sic porro de aliis. Jam quia secundum monitum Apostoli tem-  
pori inserviendum Rom. 12. v. 11. & in specie quod facit. 2. Tim.  
2. v. 8. Memento Jesum Christum resurrexisse ex mortuis ex fe-  
mine David secundum Evangelium meum. Cui admonitioni  
ut & nos satisfaciamus ex parte ea quæ sunt de hoc tempore per

A 2

*tracta-*



*Propositio tractabimus, articulum scilicet de gloriosa Christi Redemptoris Resurrectione, cujus veritatem & certitudinem argumentis ex scriptura petitis demonstrabimus annexis secundo loco de causis & effectibus ejus resurrectionis.*

*Adsis Sancta Trias mentem, linguamque gubernat.*

III.

*Resurrectionis certitudo probatur* Antequam ad resurrectionis causas accedamus non immerito despicendum erit de Resurrectionis certitudine & veritate; An nim. Christus verè resurrexerit? Quam quæstionem probare annitemur ex V. T. prædictionibus & in N. T. eorundem impletionibus.

IV.

I.  
*Ex Mose.*

Pro quæsito autem hoc confirmando meritò initium facimus à Mose & quidem Gen. 3. v. 15. Ubi promittit Deus post lapsum semen benedictum scilicet Christum, qui contriturus sit caput serpentis. De semine vero mulieris fore tandem dicit: ut serpens cum semine suo sit succubiturus & semen Mulieris (ita vocatur Christus quia non ex semine virili natus sed virtute Spir. S. conceptus à virgine) contriturum caput serpentis, cujus prædicati interpretis existit Johannis 1. Epist. c. 3. v. 8. Ad hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli. Et hæc contritio facta est in gloriosa Christi Resurrectione; Si enim vinculis mortis non fuisset solutus Christus proh! quantū tum Diabolus tripudiasset, ibi non Christus sed diabolus victoriam duxisset. 2. Tem ore Abrahami repetiit eandem promissionem Deus ubi promisit Patriarchæ, quod scilicet semen ejus velit multiplicare ut cœli stellas & arenam maris & quod maxime huc spectat: In te benedicentur omnes gentes terræ Gen. 12. v. 3. cap. 18. v. 18. In quâ promissione tria Abrahamo promittuntur (quorum aliis in locis unum vel alterum sæpius omittitur) 1. Terra Canaan, 2. Magna posteritas, 3. benedictio oriunda ex ipso super omnes gentes. Et hanc ipsam promissionem allegat Apostolus Gal. 3. v. 9. & demonstrat ibidem quod Christus redemerit nos ab execratione legis dum pro nobis factus est maledictum ut in gentes veniret benedictio Abrahamæ per Jesum Christum v. 13. 14. imo ad speciem specialissimam devenit dum non in seminibus sed in semine, h.e.

*Tria in Abrahami promissione.*



h. e. Christo completa fuerit illa benedictio v. 16. Et hoc rursus factum est in resurrectione Christi ubi Christus ipse declaratus Filius Dei secundum Spiritum Rom. 1. v. 4. h. e. ut explicant Theologi hunc locum quod scilicet per Spiritum ibi divina natura intelligenda veniat quo sensu 1. Pet. 3. v. 8. dicitur Christus Spiritu vivificatus carne mortificatus. Homines quoque hanc benedictionem nacti Christi gloriosa resurrectione qui alias habebant in lacu in quo non erat aqua Zach. 9. v. 11. imò mansissent in peccatis suis 1. Cor. 15. v. 17. 2. Ex Psalmis talis prædictio desumi potest quæ fundamentum habet in N. T. Scriptis ut Psal. 8. v. 6. Minuisti eum paulò minus ab Angelis gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Hic uterque Christi status expressè ponitur scilicet *exinanitionis* ubi patiebatur & illudebatur ubi angelis erit inferior ut pote à quibus corroborabatur in passione, imò homine ferè inferior dum Judæi illū crucifigentes cum admiratione dicebant: Ecce homo. 2. *Exaltationis* status adjicitur ibidem ubi honore & gloria coronatus legitur constitutus super opera manuum suarum, quæ erectio facta est cum post resurrectionem & descensum ad inferos Christi sederet ad dextram majestatis & dominatur à mari ad mare, à flumine usque ad terminos orbis terrarum Psal. 72. v. 8. Hic igitur Psal. 8. quin de Christo loquatur nemini potest esse dubium cum allegationem videamus apud Apostolum Heb. 2. v. 7. 2. Psal. 16. v. 10. Non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, quod dictum allegat Petrus in prima concione sua Act. 2. v. 31. quod scilicet David præcius de resurrectione Christi locutus sit: quod non derelicta sit anima ejus in inferno nec caro viderit corruptionem. Et si hæc duo non sufficerent addi potest quoque illud Psal. 110. v. 7. De torrente in via bibet propterea exaltabit caput qui locus rursus refertur ad Christum Matt. 22. v. 44. Act. 2. v. 24. Ubi per bibitionem de torrente in via summæ illæ angustiae & dolores veniunt intelligendæ quæ q. aquæ multæ in illum irruentes animam verè pertingebant, ab his tamen non iri oppressum sed caput ejus exultandum per lætam ex mortuis resurrectionem.

II.  
Ex Psalmis.  
Duplex Christi status.

A 3

3. Ex





III.  
Ex Pro-  
phetis.

Subjectū  
quodnam  
hic.

3. Ex Prophetis idem confirmari potest & quidem ex Es. 53. qui potius ibi Evangelistam quam Prophetam agit, ita enim passionem & secuturam exaltationem describit quasi ipse oculis aspexisset v. 4. 5. 6. Verè languores nostros inquit tulit, ipse dolores nostros portavit. Et v. 8. De Angustia & Judicio sublatus est generationem ejus quis enarrabit. Hic nullum potest esse dubium quin locus itidem de Christo agat, licet vel maxime Judæi hic se torqueant ubi partim de Esaia, partim de Zorobabele: vel ut alius Rabbi interpretatur hoc caput scilicet de afflictissimo Judæorum statu quem etiamnum hodie Judæi sentiunt dum hinc inde dispersi vadunt sicut oves non habentes pastorem. Sed implent hic Judæi quod Apostolus de illis prædixit 2. Cor. 3. v. 14. Occæcati sunt sensus illorum, nam usque in hodiernum diem idem velamen manet in lectione V. T. nec tollitur velum. Licet igitur Judæis magnum lumen ortum sit, illi tamen cæcos habentes oculos non vident hanc lucem quod ex inde fit quia præconceptam de Messia adhuc futuro alunt opinionem æque ut discipuli regnum mundanum desiderantes atq; sic de uno errore in alium devolvuntur. Nobis vero Christianis lux oritur lucens in N. T. scilicet ex allegatione Matth. 8. v. 17. Act. 2. v. 32. 1. Pet. 2. v. 25. Et si vel maxime his testimoniis ex N. T. Judæus non sit contentus (debebat autem) interim ex aliis V. T. locis & quidem ex hoc ipso loco evinci satis potest quod cuivis hunc textum probè consideranti patebit. 2. Ose. 13. v. 14. De manu mortis liberabo eos de morte redimam eos ero mors tua o mors morsus tuus. Ibi Propheta mortis meminit tenentis magna vi Christum per triduum ferè; Sed evenit Leviathan infernali morti aliisque hostibus Christi ut pisci qui capitur hamo; Sicut enim hamum esca contactum si pisci rapiat, non modo escam ab hamo non remouet sed & ipse de profundo esca futurus aliis educitur; Ita & is qui habebat mortis imperium rapuit quidem in morte corpus Christi non sentiens in eo hamum divinitatis inclusum: sed ubi devoravit hæsit ipse continuo & disruptis inferni claustris velut de profundo extractus trahitur ut esca cæteris fiat quo simili utitur Hier. in Symb. Ruffini. Subjectum autem.

Ut piscis  
hamo sic  
Diabolus  
divinitate  
incarnata  
captus.



529  
autem de quo Propheta ibi loquitur esse Christum docet Apo-  
stolus Heb. 2. v. 14.

VII.

In N. T. quoque tales prædictiones facta ab ipso Christo cum  
discipulis continuo inculcabit quomodo per mortem & passio-  
nem ad patrem esset iturus, qui sermo licet illis durus videba-  
tur & plane incognitus, unde factum ut Petrus ei aliquando ob-  
loqueretur cum tenderet Hierosolymam dicens: propitius tibi  
sis Domine nequaquam erit tibi hoc Matth. 16. v. 21. 22. Idem re-  
petit Luc. 9. v. 44 quod scilicet Christus in manus hostium tra-  
dendus. Confer Luc. 18. v. 31. 32. Quas Christi prædictiones com-  
pletas esse experti sunt discipuli omnes ubi fugerunt ab ipso:  
Petrus illum ter abnegabat; Judas illum prodebat & vendebat  
triginta argenteis & propterea mercedem iniquitatis quoque  
tulit Act. 1. v. 18. Et ut passionem hanc sciverunt ita nec resurre-  
ctio illis fuit ignota dum aliquoties suis discipulis apparuit ja-  
nuis clausis præ metu Judæorum eoque tempore cum Thomas  
absens erat. Post octiduum rursus eodem Thoma præsentem &  
confessionem de Christi resurgentis veritate ibidem edente.

VIII.

Et sic ex V. T. vaticiniis & in N. T. secuti impletionibus certitu-  
do stabiliri potest: cui hæc non sufficiunt deducat & evolvat ul-  
terius Christi apparitiones per illos quadraginta dies per actas  
ubi non tantum discipulis sed & plebeis imò notoriis peccato-  
ribus ut Mariæ Magdalena apparuit Marc. 16. v. 9. Apparuit  
Apostolis, Petro nunciari voluit per mulieres, quia fides illo-  
rum erat similis calamo quassato & lino fumiganti Esai. 42. v. 3.  
Erant quasi in cognitionis crepusculo; dum noctis quidem te-  
nebras Christus dispulerat quæ ut omnium hominum ita quo-  
que discipulorum mentes tenent & occupant unde homines  
ante conversionem tenebræ vocantur Ephes. cap. 5. v. 8. In cre-  
pusculo dixi versabantur de passione & regno Christi quod  
putabant fore mundanum, Imbecillis erat Petrus cum fuge-  
ret Christo patiente cum tamen ibi aliud promitteret in Matth.  
16. v. 35. Thomas erat incredulus cui succurrit Christus & ve-

Ex N. T.  
Christi  
prædictio-  
nes.

V.  
Ex appa-  
ritionibus.

Fidei gra-  
tus tres.

stigia



stigia clavorum monstrat in manibus ne dubitationis vestigium ei maneret in corde Joh. 20. Post demum *dies* agnitionis Divinae illuxit & *Lucifer* (Christus scilicet stella matutina Apoc. 22. v. 16.) ortus in illorum cordibus 2. Pet. 1. v. 19. Christus instruxit illos de regno suo per illos quadraginta dies Act. 1. v. 3. Spiritum S. illis dedit & ministerium instituit ut ejus essent testes usque ad fines terræ. Promisit illis alium paracletum qui illos sit ducturus in omnem veritatem quem etiam die Pentecostis acceperunt ubi variis lingu'is loquebantur magnalia Dei Act. 2. postquam ille cœlum capere voluit & ad dextram virtutis sedere: quæ beneficia omnia vi resurrectionis Christi illis commendata & nobis annunciata.

IX.

VI.  
Angelorum  
testificatio-  
nes.

Huc postmodum accedit *Angelorum testificatio* qui non minus hoc tempore resurrectionis quàm nativitatis nocte apparuerunt pastoribus Luc. 2. nam illi gaudent Evangelium nobis prædictum a *Sanctis* introspicere 1. Pet. 1. v. 12! & hæc Angelorum testificatio non facta est ab uno sed magno numero; ut enim in lapsu primorum parentum Adam & Evæ non credendum quod unicum diabolicum individuum tentarit vires parentum atque sic illos abduxerit à præcepto sed ibi sine dubio aliquot legiones adfuerunt, ibi unus Diabolus altero in disputando sagacior unde semen serpentis legitur maledictum Gen. 3. v. 14. 15; ita & hic Angeli multi in salute restituenda hominum laborant cum sint Spiritus administratorii Heb. 1. v. 14. gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente Luc. 15. v. 10. Testati autem sunt Angeli de veritate resurrectionis Christi. 1. Ubi mulieribus ad sepulchrum venientibus lapis revolvebatur. 2. Ubi Angeli concionati sunt scilicet mulieribus quod Christus resurrexerit & illis in Galilæam præcesserit Mar. 16. v. 6. Alii itidē in sepulcro Joh. 20. v. 12. Ad has Angelorum *testificationes* accedunt quoque *Sanctorum* qui cum Christo simul resurrexerunt & multis Hierosolymis apparuerunt atque rursus disparuerunt pro natura corporum glorificatorum 1. Cor. 15. quæ pro proportione aliqua Christi corpori sunt reddita conformia Phil. 3. v. 21.

Hic



X.

Hic apponi ultimo demum loco possunt *Typi & figura ex Typi re-*  
*surrectionis.*  
 V. T. quæ suam quoq; afferunt lucem. Prodeat primo loco Jsa-  
 acus filius Abrahami qui jubebatur à Deo mactari & rogo impo-  
 ni, quod factum licet in actum non sit deductum tamen illa pa-  
 tris voluntas pro facto habetur (quod valet etiam in civilibus.)  
 unde Angelus ei dat testimonium quod filio suo nō pepercerit.  
 Gen. 22. v. 16. 17. sic & filius Dei seipsum obtulit, quia voluit,  
 patri in odorem bonæ fragrantia Eph. 5. v. 2. & tertio die resur-  
 rexit à mortuis quatenus impossibile erat illum à morte teneri  
 Act. 2. v. 24. 2. Josephus à fratribus abjectus, venditus Ismaë-  
 litis, in carcerem innocens coniectus, Rex & pater patriæ super  
 Ægyptum constitutus & proclamatus veste serica indutus & an-  
 nulo regio ornatus Gen. 37. 39. & seqq. Ita quoq; Christus à du-  
 ce & noto suo cum quo cibum capiebat proditur Ps. 55. v. 14. 15.  
 à fratribus suis Judæis secundum carnem crucifigitur: ubi po-  
 stea illum Deus in summam extulit sublimitatem & donavit ei  
 nomen quod est supra omne nomen &c. Phil. 2. v. 9. 3. Virga  
 Aaronis arida quæ unâ nocte floruerat & fructus produxerat.  
 Num. 17. v. 8. Ita surculus ex radice Jessæ Es. 11. v. 1. arefactus  
 in morte sed tertio die floret ut flos campi & lilium convallium  
 Cant. 2. v. 15. 4. Gedeon post reportatam victoriam *spolia militi-*  
*bus distribuit; ubi solet magna exprimi letitia* si quando Spiritus  
 S. accommodat ita in scriptis prophetis ut Esaia 9. v. 3. Confer.  
 Luc. 11. v. 22. Col. 2. v. 15. sic Christus postquam cum forti arma-  
 to congressus dona dedit hominibus Eph. 4. v. 8. 5. Simson qui  
 vili instrumento occidit mille philistæos mediaq; nocte confur-  
 gens portas civitatis Gazæ apprehendit humeris imposuit in  
 verticem montis qui respicit Hebron iter (secundum Doctorū  
 computationem) septem miliarium Judic. 16. v. 3. Ita & Chri-  
 stus in vita nocuit hostibus suis ut Pharisæis & Saducæis, doce-  
 bat n. præ illis habens auctoritatem Matt 7. v. ult. Diabolis etiam  
 in vita sua Matth. 8. v. 29. dum digito Dei ejiciebat Dæmonia id  
 quod fecit etiam per Apostolos Luc. 10. v. 18. Vidi Sathanam  
 ut fulgur de cælo cadere quod dictum etiam non incommodè  
 explicari posset de spiritualiter obsessis quibus captivis venit  
 B Christus

*Spoliorū  
 distributio  
 denotat  
 gaudiorū  
 magnitu-  
 dinem.*



Christus prædicare liberationem, clausis apertionem & annuntiare placabilem Domino Es. 61. v. 1. 2. quem locum Christus ad se applicat Luc. 4. v. 18. Maxime a. in morte ut Simson nocuit hostibus suis ubi Christi mors illorum mors fuit dum ille mortis vincula rupit expoliatosq; principatus ac potestates ostentavit palam triumphans de illis per semetipsum Coll. 2. v. 15. 6. Jonas qui merito primo loco ponendus erat propter accommodationem à Christo factam Matth. 12. v. 40. Quemadmodum, dicit, Jonas in ventre cete tribus diebus ac noctibus fuit; ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus ac tribus noctibus. Ubi mirum videri nõ debet quod dicitur ( ut hoc obiter adjiciam ) tribus diebus & noctibus erit in corde terræ ( complete ) cum tamen certum sit quod Christus ex Evangelistarum narratione ante solis ortum resurrexerit. Ubi hæc à Theologis ponitur *regula* pro hujus conciliatione, *In chronologicis considerandum ubi de completo, ubi rursus de inchoato tempore fiat sermo.* Sic fit sæpe ut unus Evangelista exclusivè ponat tantum dies intermedios qui integrè fluxerunt, alius vero Evangelista extremos dies inclusivè connumerat; sic hoc loco tres dies & noctes ponuntur quod de extremorum partibus seu integris est intelligendum. Exempla alia vide apud D. Gerh. Tom. I. p. 166. seq.

*Triduum  
mortis  
Christi  
quomodo  
explican-  
dum.  
Regula  
Theologo-  
rum.*

XI.

*Cause re-  
surrectio-  
nis.*

*1. Efficiens.*

Sic evicta resurrectionis Dominicæ certitudine argumtorum ( ut spero ) evidentia jam *de causis* quoq; agendum restat ex quibus rei essentia & definitio facile necesse poterit. Primò igitur merito initium facimus à *causa efficiente* quæ est illa *vis & virtus vivificans* quæ Christus cum patre & S. S. habet cõmunem quo sensu *ὁσιωδῶς accipitur*: quemadmodum *personaliter* 1 Cor. I. v. 24. ubi Christus dicitur Dei potentia. Ubi respicitur ad primogenitos in V. T. qui dicebantur robur & virtus Gen. 49. v. 3. Dev. 21. v. 17. & hanc virtutem Christus habuit quæ Deus per naturam unde dicitur autor vitæ Act. 3. v. 15. qua homo habet illam per cõmunicationis gratiam vi personalis unionis unde pater dedit filio habere vitam in semetipso quemadmodum & pater habet in seipso Ioh. 5. v. 26. ubi clare asseritur quod Christus quæ homo vitam habeat in semetipso quamvis non à semetipso sed à *λόγῳ* communicatam. Resurrectio igitur & vivificatio Christo competit quæ Deus est quod



quod nō facile quis negat quia vita est ζωὴ αἰώνιος quod sensu Aposto-  
 lus dicit quod solus habeat immortalitatē 1. Ti. 6. v. 13. tum ἐνεργ-  
 ῶντως quia omnibus creaturis largitur vitā unde dicitur Zach.  
 12. v. 1. facere spiritū in homine. Quod a. etiam carni Christi  
 competat hoc opus resurrectionis dubium videri potest, quo  
 modo scil. seipsum exsuscitet. Sed *distinguendum hic est inter car-*  
*nem Christi consideratam ratione sui & quatenus subsistit in unione cum*  
*λόγῳ*; hoc posteriori modo etiam carni resuscitatio sui ipsius  
 cōpetit quia sic Christi caro est deificata caro ut veteres loquū-  
 tur, dum uncta est præter mensuram præ confortibus suis Pl. 45.  
 v. 8. unde Apostolus dicit quod Deus cum carne illa fuerit Act.  
 10. v. 38. in illa 2. Cor. 5. v. 19.

## XII.

*Non a. ita præsens fuit carni ut Davidi & aliis sanctis sed ut di-*  
 ximus præter mensuram non secus ac gloria Domini replebat  
 totum tabernaculum Ex. 40. templū Salomonis, Reg. 8. ita quo-  
 que caro Christi repleta est gloria quæ carnem Christi ut templū  
 Ioh. 2. v. 13. inhabitabat Coll. 2. v. 9. ubi divinitas dicitur habi-  
 tare non v. in seipso quia nihil in seipso inhabitat sed in carne  
 quæ dicitur habitaculum non quoad virtutes aut qualitates sed  
 quoad plenitudinem Deitatis quæ denotat divinam naturam fi-  
 lli Dei & quicquid in ea est vel ad eam pertinet sicut plenitudo  
 maris vel orbis in scriptura ita vocatur *annotante Chemnit. de du-*  
*abus in Christo naturis c. 9.*

## XIII.

Hoc ergo sensu dicitur causa efficiens resurrectionis ubi ta-  
 men Pater nec Spiritus S. excluduntur, quia *opera Trinitatis ad*  
*extra sunt indivisa secundum Regulam Augustini*, quemadmodū ergo  
 ad incarnationem filii tota Trinitas concurrat scil. ratione actus  
 non ratione termini ut loquuntur Scholastici, vel operatione nō  
 susceptione ut patres h. e. sola secūda Trinitatis persona incarna-  
 tur terminativè, interim Pater concurrat ad hoc opus filium  
 mittendo, Sp. S. massam virgineam in utero Sanctificando;  
 eodem modo *patri adscribitur Resurrectio* Rom. 6. vers. 3. Ubi  
 Christus dicitur excitatus per gloriam patris quæ gloria  
 communis est toti sacrosanctæ Trinitati, & sic etiam *filio*

B 2

unde

*Carni  
 Christi  
 dupliciter  
 considera-  
 tur.*

*Differen-  
 tia inter  
 possessionē  
 majestatis  
 in Christo  
 & sanctis.  
 Simile.*

*Pater &  
 Sp. S. à  
 resurre-  
 ctione  
 Christi nō  
 excludun-  
 tur.*



unde Christus hanc dicitur habuisse antequam mundus fieret. Johan. 17. v. 5. Confer Col. 2. v. 12. De Spir. S. quoq; hoc asseritur ex Rom. 8. v. 11. Quam verè ergo pii & fideles resuscitantur à Spiritu Sancto cujus templa fuerunt in hac vitâ tam vere etiam filius Dei ab ipso resuscitatus est; scil: propter nostram cū Christo spiritualem per fidem cohærentiam, tum propter eandem quâ Spiritus S. habet cum patre & filio potentiam, unde sæpius legitur Deum Christum exsuscitasse ubi sine dubio vox Dei ponitur *ὁσὼδῶς* atq; sic spiritus excludi non possit nec debeat propter essentiæ identitatem.

XIV.

Discrimē  
inter mi-  
racula  
Christi &  
sanctorū.

Ex his jam dictis sole clarius elucescit quomodo Prophetæ & Apostoli leguntur mortuos resuscitasse, & alia miracula edidisse scil. non tam majora nec propria virtute & autoritate quam Christus, sed in nomine Dei & adhibitis precibus ut Elias suscitavit mortuum 3. Reg. 17. v. 19. Petrus dicebat ad claudum quem sanare volebat: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula Act. 3. v. 6. & v. 12. atq; sic Deo soli dat gloriam: Quid nos intuemini inquit, quasi nostra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare. Christus a. virtute propria in, cum & per *humanam naturam* tanquam per *organum imbalsamatum* per quod *λόγος* plenitudinem divinitatis exeruit ut veteres locuti. Quæ tamen locutio non in eum sensum est rapienda ut Danaus contra Chemnitium qualificatio Christi non plus contulerit ad miracula quam vel serra ad ædificium, aut virga Moïsi ad sua miracula; sed *instrumentum & organum vocant non divisum aut separatim sed personaliter unitum & conjunctum cum quo & per quod agit Christus mediatoris officia explicante D. Gerh. Tom. 1. p. 668.*

Humana  
natura  
quomodo  
dicatur  
organum.

XV.

Materia  
Resurre-  
ctionis.

*Materia seu subjectum resurrectionis est corpus illud quod in morte antea cecidit, hoc est soluta erat illa naturalis unio animæ & corporis, cum anima interim personaliter unita permansit cū λόγῳ cum quo in primo incarnationis momento unum constituerat ὕψιστον de qua solutione dicebat Christus Ioh. 10. v. 18. potestatem habeo animam ponendi & rursus sumendi eam, eratque tūm anima Christi in manu Dei ut omnium quoq; justorum*

Sap.



Sap. 3. Luc. 23. In manus tuas commendo spiritum meum. Erat autem in manu Dei alio modo quam vel Enochi vel Eliae qui tamen erant in sinu Abrahamæ cum interim anima Christi in λόγῳ personaliter unita mansit in media. etiam morte quæ mors non poterat illas partes separare; si enim neq; mors neq; vita, neq; Angeli, vel principatus neq; instantia neq; futura neq; altitudo, neq; profunditas neq; ulla alia creatura poterit nos (pios & fideles) separare à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu propter spiritualem in fide conjunctionem Rom. 8. v. 38, 39. quomodo propter unionem personalem anima & λόγῳ per mortem separabuntur? Corpus ergo Christi illo mortis triduo in spe quiescebat Ps. 16. v. 10. donec rursus conjungerentur; ubi tamen non desit esse Christus noster Mediator quia illæ partes manserunt licet non unius modi se habentes vel ut eruditè satis explicat Rev. & Excellentissimus Præses alicubi: Christus semper fuit simul verus vivusq; homo & verus Deus excepto solo triduo mortis in quo mansit Christus propter officium licet non verus vivusq; homo propter officii executionem. Hoc ergo corpus quod natum, crucifixum, mortuum & sepultum illud ipsum etiam resurrexit & ad dextram maiestatis confedit.

Anima Christi a-liter in Paradyso quam Sãctorum aliorum.

Christus tempore mortis mansit Christus.

XVI.

Corpus autem illud variis exornatum est qualitatibus post resurrectionem, τὸ πρῶτον quidem fuit sed non τὸ δεύτερον. Ante resurrectionem habebat corpus infirmitatibus humanis subiectum cibo potu & quiete indigens quia voluit fratribus esse in omnibus similis excepto peccato Heb. 2. v. 17. Has autem infirmitates post resurrectionem deposuit & factum est corpus 1. Spirituale dum non erat amplius animali cibo & potu indigens quæ oppositio monstratur 1. Cor. 15. v. 44. Et licet cum discipulis suis post resurrectionem cibum sumpserit ut in diversorio cum discipulis Emaû-tibus Luc. 24. v. 30, 43. & alibi; tamen id factum est ex singulari dispensatione non ex simplici necessitate quemadmodum sæpè Angeli in V. T. apparentes comederunt scilicet quod visi sint comedere cum revera non comederent ut Raphaël dicit Tob. 12. vers. 19. vel cibum Angelicæ naturæ vi velut igni absumpserint quod posterius asserit D. Humm. 2. Immortale quoq; habuit corpus

Corpus Christi post mortem clarificatum. 1. Spirituale.

2. Immortale.

B 3, ipse





ipse Christus idq; quia corpus habuit sanctum in quo peccatum  
 non inveniebatur multo minus dominabatur atq; sic culpa ab-  
 sente pœna non sequebatur cum mors sit stipendium peccati  
 Rom. 6. v. 23. quod autem semel mortuus id peccato mortu-  
 us dum pro nobis factus est peccatum 2. Cor. 5. vers. ult.  
 hoc est, factus pro nobis peccati victima ut sæpè peccatum  
 sumitur pro peccati victima Os. 4. v. 8. vel etiam sumi potest  
 pro peccati reatu qui itidem Christo impositus ut ibi hirco e-  
 missario Lev. 16. 3. *Impassibile* quæ impassibilitas cum illis est  
 conjuncta non enim passus ibi Christus cum lapidem sepul-  
 chralè penetraret & clausis Januis ad discipulos veniret quam  
 apparitionem Evangelista ut miraculum narrat Ioh. 20. v. 30.  
 4. *Clarum*. 4. *Clarum* dum corpus ejus solis instar splendebat; si enim  
 facies Moysi adeo splendore corruscavit ut velamen ponerent  
 in facie Israëlitæ ad quos Moses loquebatur verba quæ acce-  
 perat à Domino in monte Exod. 34. v. 29. quanto magis cor-  
 pus Christi illa claritate micuit quippe cum sit sol justitiæ  
 Malach. 4. 5. *Agile* dum in momento apparere potuit ubi  
 voluit non obstante tot miliarium capacitate. 6. *Firmum*  
 dum à nullo vel ædificio vel claustrò retineri potuit quia in  
 potentia surrexit quod in infirmitate seminabatur 1. Cor. 15.  
 unde *Lutherus* asseverare non dubitat etiam de piorum glori-  
 ficatis corporibus in 1. Cor. 15. Cujus verba ita sonant. *Wie*  
*werden mit einem Berge Spielen können / gleich wie die Kinder*  
*mit einem Ball.* Illud igitur multo magis dicendum de glo-  
 rioso Christi corpore quia Insulæ coram eo sunt instar pulve-  
 ris Es. 40. v. 17. Idem cogitari potest de aliis ut illocalitate,  
 invisibilitate quæ hic monstrasse sufficiat. Accedimus ad For-  
 mam.

XVII.

*Forma re-* *Forma resurrectionis Dominice* consistit in illa conjunctio-  
*surrectio-* *ne animæ & corporis quorum vinculum ad tempus solutum*  
*nis.* ut diximus th. 15. Conjunctis ergo his partibus prodiit vivus &  
 sepulcro ubi prius descenderat ad infernum & de expoliatis  
 principatibus victoriam duxerat Col. 2. v. 15. atq; sic mortis in-  
 ferni & peccati se Dominum demonstravit. Deinde pertinet ad  
 hanc



hanc formam etiam *miraculosa* est sepulchro *egressio*, ubi per lapidem sepulcralem corpore suo glorificato transit non prius lapide remoto ut quidam Calviniani asserere non verentur: Nam poterat illud præstare secundum efficaciam qua potest sibi omnia subicere Phil. 3. v. 21.

## XVIII.

Quæ consideratio rursus *diversum modum monstrat quomodo alii in vitam provocati scilicet non virtute propria sed Apostolorum ope* qui assistentiam itidem Spiritus S. habebant dum operabatur per signa Marc. 16. v. ult. Multo minus illud asserendum est de Diabolicis ludificationibus & præstigiis quas solet organis suis sagis & veneficis obtrudere & in hoc fit Diabolus Dei simia qui solus facit mirabilia Ps. 72. v. 18. Ita ludificabat Regem Saulem qui volebat per Pythonissam adduci Samuelem. 1. Sam. 28. v. 11. 12. Cui factis etiam multum tribuunt ipsi Pontificii atque eum pro vero Samuele habent. Cujus rei contrarium probari facile potest ex historia ut quod Deus Sauli minatur quod non velit amplius agere cum illo per Urim aut per Prophetas v. 6. Si autem verus Samuel ille fuisset, qui ei apparuit utique Deus illum nominasset, Prophetæ nomine etiam post mortem dignum ut Jer. 15. v. 1. 2. Quod Samuel ille dicit ad Saulem: Cras tu & filii tui mecum eritis, ubi illud certum quod Samuelis anima fuerit custodita in fasciulo viventium 1. Sam. 25. vers. 29. in manu Dei ut omnium Iustorum Sap. 3. v. 1. id quod non affirmandum de anima impii Saulis qui vitam cum desperatione finiverat adeoque extra caelestem Hierosolymam ut homicidæ & Canes omnes Apoc. 22. v. 15.

## XIX.

Nec est ut aliquid præsidii hic quærant in illo quod Samuel semper dicatur in textu; ubi sciendum quod scriptura & Spir. S. loquens in scriptura faciat id non ex intentione & sententia sed ex hominum iudicio quorum multa exempla extant in scriptura ut quod Psal. 58. vers. 4. dicitur de aspide obturante aures ad vocem incantatoris. Hæc enumerantur ex opinione vulgi non vero ex iudicio vel approbatione Dei qui ut omne peccatum.

Discrimē  
Christi &  
in vitam  
resuscita-  
torum.  
Et sagarū.

Instantia.

Resp.



peccatum ita & incantationem habet pro peccato abominabili  
ex Devt. 18. confer Ier. 8. v. 17.

XX.

Mortuo-  
rum resu-  
scitatio  
opus Dei  
proprium.

*Manet Ergo hoc unicum resurrectionis opus Deo soli proprium*  
qui ut creavit omnia ex nihilo ita vocare potest ea quæ non sunt  
ut sint, in quibus operibus verè divinis à gentium Diis discerri-  
tur, ut prædicere futura, creare &c. Esa. 42. v. 23. Cujus rei si  
quis ulteriorem declarationem efflagitet quæ scilicet opera Dia-  
bolo sint impossibilia nec in ejus manu, quorum potissimum sunt duo-  
decim ex sententia D. D. Balduini Præceptoris æternum venerandi in ca-  
sibus conf. cas. 4. cap. 2. de acti. hominis cum malis Angelis. 1. Novas  
producere creaturas (ubi non intelligit omne novum) 2. Cre-  
aturas multiplicare. 3. Creaturas transformare in aliam speci-  
em. 4. mortuos resuscitare. 5. morbos sine medicamentis tol-  
lere. 6. uterum matris claudere & recludere. 7. Cursum solis  
inhibere. 8. mare & alias aquas dividere. 9. futura nosse & præ-  
dicere. 10. cogitationes hominum scire. 11. Elementorum qua-  
litates tollere vel suspendere. 12. omnia mira edere quæ scriptu-  
ra Deo tribuit, ut servare Noachum in diluvio, Jonam in ven-  
tre piscis. Quæ omnia loco allegato ulteriùs probantur & dedu-  
cuntur. Adest finis.

Duodecim  
opera Di-  
abolo im-  
possibilia.

XXI.

Finis re-  
surrectio-  
nis. 1. Ra-  
tione Dei.

*Finis resurrectionis Christi potest considerari vel respectu Dei vel*  
*hominum, Dei & quidem 1. Patris respectu* cujus misericordiæ  
abyssus ut in aliis operibus se aperit ut in filii missione. 2. in alie-  
ni meriti acceptatione. 3. fidei infusione, verbi & Sacramento-  
rum concessione; ita maximè elucet illa misericordia dum pro-  
prium & non alienum Rom. 8. non ex multis unum sed unige-  
nitum pro nobis dedit Joh. 3. ita eundem afflixit, comminuit &  
quasi in mortario contudit quæ est significatio radicis נִדָּבַדְּ Es. 53.  
v. 5. 2. *Filii respectu.* 1. *ratione nature divine* ubi in resurrectione  
declaratus fuit filius Dei Rom. 1. v. 4. Si enim nudus homo fuisset  
in morte mansisset nec nos sufficienter redemisset nam fra-  
ter non redimit quemquam nec dabit Deo placationem suam  
Psal. 49. v. 8. ibi prævaluisset peccatum ejus merito: quæ tamen  
jam præstita sunt sufficientissimè quia *Deus passus in carne* 1. Pet. 4.  
ut



ut jam gratia exuberet supra peccatum dicente Apostolo Rom. 5. v. 21. Quam rem elegantissimo simili declarat B. Lutherus Tom. 7. *Simile Jenensi Germanico: Si in una lance, inquit, ponantur peccata & ira Dei peccatis debita, & in altera lance nudi hominis mors pro nobis passi tunc altera lanx deprimit nos ad infernum: Si vero in altera lance ponatur Christi passio & sanguis, Dei mors tum gravior fiet ista lanx quam omnium hominum peccata & ira Dei.* 2. *Respectu humanae naturae* ubi ejus de-  
 prædicanda humilitas qua idiomatica divina in momento incarnationis communicata possedit, & in resurrectione maximè ex-  
 eruit: nam Christus licet in forma Dei non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo seipsum exinanivit forma servi assumpta Phil. 2. v. 6. 7. Christus licet omnium Dominus tamen in statu exinanitionis servus omnium factus: nam non venit ut sibi ministraretur sed aliis ministraret Matth. 20. v. 28. Quem suum servum pater sustentasse legitur Es. 42. v. 1. Ubi *Christus vocatur servus* non quod patri non sit ὁμοῖος quia ille cum patre operatur Joh. 5. v. 17. Sed *respectu status humiliationis* ubi descendit de cælo ut habet Symbolum Nicænum. 2. ubi majestatem communicatam non exeruit Phil. 2. v. 8. 3. ratione ejus dum patri obediens factus ad mortem crucis. 4. opera servilia perfecit nobis ἐν τῷ ὑποτακτικῷ, hoc est, exemplar quemadmodum præscribit præceptor discipulis suis ad imitandum 1. Pet. 2. v. 21. 3. Nec Spiritus Sanctus hic excludendus utpote cujus veritas miris modis celebranda qui hæc beneficia in nos collata elocutus est per os Prophetarum: Nam ut alibi sæpius in scripturis duarum personarum fit mentio ubi pater & filius intelliguntur Spiritu sancto interim non excluso, is enim eloquitur quod pater & filius efficiunt quam Regulam ponit B. Lutherus. Ita quoque hoc loco pater filium resuscitat filius quoque ipse animam quam posuerat, sumit Joh. 10. Spiritus S. annunciat nobis hoc per Apostolos & in cordibus credentium ob-  
 signat ut verbum ferat fructum in patientia.

*Christus dicitur servus quatuor modis.*

*Regula Lutheri.*

## XII.

*Finis & fructus respectu hominum* (ex quibus effectus quoque simul patescere possunt) sunt satis multi 1. *respectu nostræ justificationis* dum propter justificationem nostram excitatus legitur Christus Rom. 4. v. 24. Ubi illud dictum non habet hunc sensum

*2. Respectu hominum.*

C

in



in se, ac si mors Christi & omnes passionēs, quas per totam vitam sustinuit, sint excludendæ à nostra justificatione sed respectu manifestationis quod Christus Dominus mortis declaratus fuerit qui habeat claves mortis & inferni Apoc. i. v. quo respectu Paulus nos per hunc resuscitatum à mortuis habere remissionem peccatorum asserit Act. 13. v. 37. 38. 2. respectu renovationis nostræ quod scilicet & nos à peccati morte resurgere debeamus & quia justus cadit septies resurget quoque septies Prov. 24. 17. Et quemadmodum Christus excitatus per gloriam patris ita quoque nos in novitate vitæ ambulemus Rom. 6. v. 3. Ubi Christus nobis exemplo fit, ut quemadmodum ille in morte, quam subijt, non mansit, ita quaque nos in morte animæ non maneamus quam resurrectionem Joh. Apoc. 20. v. 6. vocat resurrectionem primam & in his non habebit potestatem mors secunda.

XIII.

Quod sanè impii non faciunt qui ruunt de scelere in scelus qui sapiunt terrestria quorum Deus venter est & gloria in dedecore illorum Phil. 3. v. 19. Et quia terrena tantum sapiunt scribuntur quoque in terram quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum Jer. 17. v. 13. h. e. non perveniunt ad beatitudinem cœlestem sed omnis eorum felicitas tantum terrestris erit & cum morte extinguetur quo respicit Christus quando scribæ & Pharisei adducebant ad eum mulierem deprehensam in adulterio ibi Christus inclinans se deorsum scribebat in terram Joh. 8. v. 6. quæ scriptio erat abjectionis signum ut contrà excellentiæ quando nomina discipulorum scripta prædicantur in cœlo Luc. 10. v. 20. 3. Respectu nostræ resurrectionis quæ sequitur resurrectionem Christi ut causa effectum suum quod firmum piis præbet solatium quod Christus sit vita & resurrectio Joh. 11. v. 24. Et hæc est natura corporis ut ubi caput ibi & membra ejus ut promisit discipulis suis Joh. 17. v. 24. Unde Lutherus Nostra, inquit, resurrectio plus quam dimidia in Christo peracta est. Quo solamine Jobus erigebatur in summis afflictionibus & anxietatibus animi & corporis c. 19. v. 15. Ubi Christus dicitur noster spōsor, satisfactor & intercessor & respicitur ad Levit. 25. de fratre ducente mulierem defuncti. Asserit autem de suo illo satisfactore quod vivat & se.

imò non tñ sedne Septi. sed  
tñ efficacia vide Joh. 1. v. 3.  
S. p. Genens. p. 1443.

Scriptio  
in terram  
abjectionis nota.

Lutherus  
de resurrectione.



& se etiam certò resurrecturum credit, ubi Jobo sermo est non de restitutione sanitatis ut contendunt Photiniani sed de resurrectione carnis, digito enim quasi monstrat ad carnem illam quã vestitus & pellem illam quã indutus illo ipso suo corpore se resurrecturum certò credit, unde & veteres hunc articulum recitantes ut exprimerent certitudinem hujus Articuli dicebant: Credo resurrectionem ( digito directo in corpus ) hujus carnis. Et quod de tali Redemptore hic sermo sit qui ut ipse vivit ita quoque vitam in & ab illo sit recepturus unde resurrectionis opus ipsi Filio Dei saepe adscribitur ut Joh. 5. v. 28. 29. Matth. 24. v. 30. 31. Reliqua Argumenta suppeditabit textus inspectio.

## XXIV.

3. *Respectu hostium* ubi erat Diabolus cum suo exercitu, Diabolus cum morte devictus quia impossibile erat eum vinculis mortis teneri: Diabolus catenis noctis in tartarum præcipitatus tradidit servatus ad Judicium 2. Pet. 2. v. 4. *Non igitur Diabolum & mortem velut leonem timemus; sed ut pellem conculcamus dicente Bernh.* An igitur securè vivendum quia Diabolus victus? Absit: ita enim victus ut habeat adhuc regnum suum in filiis incredulitatis & insidietur adhuc calcaneo Christi, hoc est, bellum movet Christi membris ubi circumit & perambulat terram Job. c. i. v. 7. atque hoc modo regnum suum dilatare studet unde *Christus eum duplici colore depingit Joh. 8. v. 44.* scilicet quod mendax sit & homicida; 1. *rubro colore* cum dicitur homicida unde & Draco rubeus vocatur Apoc. 12 v. 23. 2. *Atro* quia mendax est illud opus tenebrarum exercens Eph. 6. v. 12. *Quæ omnia incepit in cælo; perrexit in Paradyso; perficit hodiè per os spirituum mendacium; per manum Tyrannorum; per animos falsorum fratrum; Quis ergo securus erit?*

3. *Respectu hostium.*

*Christi victoria nostrorum hostium non permittit securitatē. Diabolus duplici colore depingitur.*

## XXV.

2. *Infernus* pro nobis à Christo devictus, quod dum credunt pii effugiunt inferni doloribus; impii vero lato pede viam illam latam ad perniciem ducentem calcant Matth. 7. v. 13. *atq; sic illis fit locus stentium, stridor dentium, morsus vermium, clamor dolentium vox dicentium. Væ nobis, væ nobis filiis Evæ dicente August.*

C 2

3. *Mors*



XXVI.

Mors som-  
nus tri-  
bus modis.

3. Mors quæ per peccatum introducta absorpta est à Christo qui morti fuit mors ut piis sit lucrum quod sæpe exoptent cum Paulo ut Phil. 1. v. 21. Somnus Matth. 9. v. 24. sicq; dicitur 1. ratione laboris præteriti quia quiescunt à laboribus suis, Apoc. 14. v. 13. 2. dicitur somnus ratione quietis præsentis cum sint in manu Dei & non tangit illos tormentum Sap. 3. v. 1. cum contra impiorum animæ rotentur quasi impetu & circulo fundæ 1. Sam. 25. v. 29. 3. ratione resurrectionis futuræ dum quiescunt in cubilibus suis donec audiant vocem filii & resurgant Joh. 5. v. 28.

XXVII.

Contra  
conscien-  
tiam pec-  
cans con-  
fertur cū  
Pilato ju-  
dice.

4. Peccatum mortis stimulus 1. Cor. 15. v. 55. quoque fractus est ita ut cor pius non possit condemnare 1. Joh. 3. v. 21. quia Chirographum quod adversus nos erat delevit & cruci affixit Col. 2. v. 14. Id quod magnum fructum & solatium instillat ipsis piis, si fortè ex imbecillitate peccent, tum videant ne peccatum dominetur in mortali eorum corpore Rom. 6. v. 12. Caveant ne contra conscientiam peccent & perseverent, & sic filium Dei conculcent & sanguinem T. ceu rem prophanam habeant per quem fuerant sanctificati Hebr. 9. v. 29. Nihil enim aliud talis scienter peccans facit quam ut in tribunali Pilati sedeat; Christum ab uno latere stantem condemnet; Barrabam vero ab altero absolvit qualis justis condemnatio & impiis justificatio Domino est abominatio Prov. 17. v. 15. Peccatum originis illis qui sunt in Christo non potest nocere atque sic nulla quoque condemnatio in his Rom. 8. v. 1. Et sic hætenus de Christi vivificatione quæ post mortem ex sepulchro redivivus prodiit ad complendum suum officium & nostram justificationem promerendam, Quibus postmodum annexa quæ spectare potuerunt ad usum διδασκαλικόν.

Calvinia-  
norum er-  
ror de Re-  
surrectio-  
nis effi-  
ciente.

XXIIX.

Quoad usum ἐλεγκτικόν monstrabimus tantum errores præcipuos qui producuntur contra hæc causarum genera. 1. Quoad efficientem causam non levem fovent errorem Calviniani qui dum negant communicationem donorum infinitorum non possunt etiam non negare hanc vivificandi virtutem carni Christi communi-



municatam & per hanc Christum resuscitatum; qua hypothese præsupposita vel unio planè negatur vel leviter tantum defenditur ubi eam definiunt per sustentationem. Resp. Ex scriptura hæc unio rectè asseri debet ex qua postmodū ut effectus à sua causa dependet ipsa idiomatum communicatio, non autem ita leviter definienda per sustentationem quippe quæ etiam creaturis competit, sed intimè & penitissimè quod pii *Veteres declarant unione animæ & corporis; ferri massâ* quæ tota ignescit intus & extus omnibus suis poris. Sic etiam communicatio asserenda nec transmutatio inde metuenda alterius naturæ ut in nuptiis Cananæis ex aqua vinum factum est Joh. 2. 2. *Nec donorum* illorum fuit *effusio* quasi λόγος & factus indigentior quia quod caro Christi habet per unionis gratiam illud retinet λόγος & per naturam. Sic asserta etiam communicatione vis illa vivificandi quoque carni communicata stabit quâ seipsum excitarit quia λόγος & caro sunt una persona.

*Similia  
Veterum  
de perso-  
nali unio-  
ne.*

## XXIX.

Peccant etiam contra hanc filii Resurrectionem ipsi *Photiniani dum Christi resurrectionem impossibilem esse putant* vel ut adhuc durius loquitur Socinus *planè ridiculam*. Sed heus Socine: Est tempus ridendi; hic v. non ridendum sed mirandum & credendum. Deus hic est qui potest operari supra id quam nos intelligimus, modum ignoramus rem scimus; habuit Christus & posse & velle resuscitandi se ipsum Joh. 2. v 10. Ergo merito credo. Attendat ergo Socinus Jacobum Fabrum Stapulensem ita de mysteriis loquentem: *Deum mysteria, inquit, & supra modum, & qui modum talium rerum cognoscere cuperet, perinde fatigari in vanum ac frustra laborare ac si oculus contenderet videre sonum qui ipsi invisibilis.*

*Photinia-  
norum.*

*Jacob.  
Faber  
Stapulen-  
sis de my-  
steriis.*

## XXX.

Contra resurrectionis subjectum & veritatem corporis Christi iterum errant *Calviniani* cum de corpore glorioso post resurrectionem tenuiter nimis loquuntur ut cum *invisibilitatem negant* ex eo quia Christus habeat corpus naturale. Resp. Habet Christus corpus naturale verum sed non merum; num autem omne corpus naturale semper actu videatur norunt etiam Philosophi.

*Calvinia-  
ni contra  
subjectū.*

C 3

Sed



*Sed latet anguis in herba!* Exinde progrediuntur ad presentiam corporis Christi in cœna; Christus, inquiunt, verum habet corpus, adscendit corpore in cœlum; Si autem in cœna cur non videatur? cur non tangatur? Resp. Idem qui dixit: Adscendo ad Patrem & relinquo mundum, idem dixit quoque: Hoc est corpus meum. Ubi habemus voluntatem quod velit esse præsens in cœna: habet potestatem, de qua Christianus non dubitat quia dat laudem Deo, beati enim qui credunt & non vident Joh. 20. 2. Cur non concludunt sic Calviniani si alterutrum negandum esset: Christus est in cœna quia vult & potest. Ergo non in cœlo? quæ hic ratio? Ergo utrumque credatur verbo quod dixit & stet illæsa integra fidei regula neque ita pars una opponatur alteri.

XXXI.

Photiniani.

Photiniani negant ex eo Christi immortalitatem quia post resurrectionem Christus comederit. Resp. Vera illa fuit manducatio sed non merè naturalis, non ex indigentia sed ex libera voluntatis dispensatione quippe facta ad discipulorum fidem roborandam qui putabant se videre spectrum. Si enim non indigebat & continere poterat à cibo per 40. dies cum esset adhuc in statu exinanitionis & infirmitatibus subjectus Matth. 4. quidni poterit idipsum præstare in statu exaltationis qui duxit initium à Christi resurrectione. 2. Quemadmodum ergò liberâ voluntate retinuit vulnera clavorum in manibus propter discipulos, & etiamnum habere creditur ab Augustino, Theophylacto & aliis: Eadem hic res est.

XXXII.

Contra formam Calviniani.

Quod attinet ad formam nec illam Calviniani in tactam relinquunt dum negant Christum suo corpore clausis januis ad discipulos venisse, lapidem penetrasse; sed januam vel per Angelos apertam; vel per fenestram ascendisse quæ omnia eo collimant ut omnipotentiam & subtilitatem corporis Christi negent. Resp. Factum illud Christi infectum reddere non possunt nec debent Calviniani; Quomodo enim objectus repaguli repellere, quem non coercuerat pondus sepulchri dicente August. Et ne principium petere videamur patet illud ipsum ex contextu: si enim per fenestram adscen-



adscendisset Christus & lento gradu ad ipsos perrexisset, utique non putassent se spectrum videre. Deinde Johannes hanc apparitionem ut miraculum describit c. 20. v. 30. ut credamus quod Jesus sit Christus ille filius Dei ut credentes habeant vitam per nomen ejus v. 31. Cui sententiæ multi Patres ut August. Cyrillus Hieron. subscribunt.

## XXXIII.

*Photiniani* excipiunt ad Christi apparitionem Joh. 20. quod ibi tempus describatur quo Christus discipulis apparuerit nimirum foribus clausis. Resp. Et tempus vespertinum describitur ibidem & simul modus exprimitur quo apparuit; nam quia præ metu occlusæ erant fores utique dubium non est quin etiam interdum clausæ fuerint. 2. Si Angeli possunt quævis corpora solida penetrare utique multo minus de glorioso Christi corpore id ipsum negandum erit in quo habitat plenitudo Deitatis corporaliter.

Photiniani.

## XXXIV.

Ad finem & fructus excipiunt quoq; *Calviniani* nec possunt hic tacere si absolutum decretum defendere velint; ex quo fluit particularis Dei gratia particulare Christi meritum particularis Evangelii annunciatio quæ omnia sunt tantum efficacia quoad fideles; *pro damnatis enim Christum mortuum esse vox illis intolerabilis est. Idem ergo dici potest de Christi resurrectione quæ non est minima pars meriti Christi.* Resp. Calviniani quamdiu illud absolutum decretum defendunt tamdiu Deum autorem peccati facere non desinunt quæ tota res impingit in analogiam fidei adeoq; merito suspecta. Taceo quod *Dei gratia Christi satisfactio Evangelii annunciatio sint triplex funiculus qui non facile rumpitur quæ Deus nobis in hunc carcerem dimittit ut trahat & pertrahat nos ad conspectum magni Dei, nos teneamus & sequamur monente Bernhardo.* 2. Si fructus resurrectionis Christi est particularis quale solatium tentato instillabunt cum jam Spiritus S. cessat dare testimonium Spiritui nostro. Modus quem *Zanchius* monstrat quoad motus & fructus fidei est insufficiens nec acceptatur à tentato. *Piscatoris* fortasse per æquæ fortasse refutatur; si n. tentato ex sententia illorum dicatur: Sentis adhuc semina & effectus fidei; Fortassis es in electorum numero; fortassis ad te bona & fructus mortis & resurrectionis Christi pertinent. Non tacebit hic tentatus.

Contra finem Calviniani excipiunt.

Dei triplex funiculus.

Adjis.



Adjici hic potest error Photinianorum qui Christum magnum Prophetam concedunt hoc sine mortuum ut sibi ipsi immortalitatem & potentiam acquireret morte sua. Quæ blasphemia ex præcedentibus facile refutatur & ex sacris facile innotescit. Hic finis esto. *Laudem cantemus Domino Deo nostro agno qui occisus est (qui resurrexit) dignus accipere virtutem & divitias sapientiam fortitudinem & honorem & benedictionem, Amen.*

## Corollaria.

1. *Resurgere idem in scriptura aliquandò ac eludari è calamitatibus in quibus impii pereunt pii v. surgunt ut Prov. 14. v. 15. c. 24. v. 16.*

2. *Corpus Christi sanctissimum & ἀσπύγητον non facile quis cadaver dixerit nisi qui omni sanctificati vale dixerit.*

3. *Universale non est secundum experientiam quod in sepulchris omnium hominum nascantur vel ad minimum reperiantur vermes & serpentes.*

4. *Fore diversam resuscitatorum in extremo judicio staturam probabile est si non omnino certum.*

FINIS.





Umg. VI 23

= [Dissertationes  
theol. Vol. 59]

ULB Halle 3  
002 386 852




sb. 26

Folio  
VD 77











B.I.G.

Farbkarte #13

heologica

526  
74

SA SAL-

NOSTRI

STIRE=  
IONE.

annuente

*in Academia*

DE

*& Excellentissimo*

RE MEISNERO

Præceptore & Pro-

im colendo

ponit

CHLUTOVIUS

Megap.

*itorio Veteri.*



R G Æ

ISTI BORECK,

CXXV.

